

R.K.
434
9.

21 24.
X 186 3143

II n
68

De Veterum Celtarum
CELIA, OELIA
& ZYTHO,

ad illustrandum FLORI locum nobilem,
VVittenbergae differet in Audit. Maj.
VIII, Id. Oct. A. O. R. clō Ibc XCV.

Sub PRAESIDIO


DN. GEORGII CASPARIS
KIRCHMAJERI,

Oratoris Publici Excellentissimi, Acad.
VVittenbergensis SENIORIS maximè Venerandi,
& Acad. Imper. Leopold. Phosphori Secundi
Splendidissimi,

DOMINI, Patroni, ac Praeceptoris aeternum colendi,
Auctor-Respondens

M. STEPH. ANDREAS MIZLER,
Creilsheimio Francus.

Typis CHRISTIANI SCHRÖBTERI, Acad. Typ.



De Veterum Germanorum
CELLA, OCELLA
& ZYTHO

ad illustriandum FILOSOFI locum nobilissimum
Vindoburgae disseter in Audiu. M.
VINDOBURGAE A. R. M. D. C. C. C. V.

Sub Praesidio
DN. GEORGII CASPARII
KIRCHMAYERI

Oratoris Publici Excellentissimi Acad.
Vindoburgensis SENIORIS maxime Venerandi
& Acad. Imper. Leopold. Philosophon secundae
Splendidissimi

DOMINI Patris deceptorum veterum colendi
Auctoris Respondens
M. STEPH. ANDREAS MILLER,
Orissheimio Tuncus.

1700
VINDOBURGAE
In Typographia
J. J. COEGERI
1700

ext
su
inf
LI
ex
st
Bl
Ma
pil
me
de
ex
gò
Ge
sim
vet
B
Nu
& c





Q. D. B. V.

PRAEFATIO.



Antiquitatis, in bibendo, gustum propi-
nabimus Benevolo Lectori. Locus *Flo-*
ri nobilis occasionem dedit: sitim eru-
ditionis excitârunt Viri Celeberrimi,
Boxbornius, nec non *Blanckardus*. Hi-
stor. Rom. lib. II. c. XIX. *Florus*, Bellum
Numantinum referens, compulsis ad
extrema, à *Romanis*, *Numantini*, ut ab imminentis mali sen-
su animos alienarent, epulis se implevere, ait, veluti per
inferias parentaturi sibi, carne semicruda scilicet, & CE-
LIA; (hæc *Flori* verba sunt,) sic vocant indigenam
ex frumento potionem. Quae ut intelligerentur re-
ctè verba, hûc commentaturus Criticus insignis, *Nicolaus*
Blanckardus, consulendum esse Polyhistora existimavit
Marc. Zuer. Boxbornium; Quarebas nuper (scribit in E-
pist. pec. Commentario præfixa,) de voce *Celia*, cuius *Florus*
meminit; de Bello *Numantino*. Accipe igitur, nunc quid
de ea sentiam. *Hispani*, inquit, *Celiam* vocant indigenam
ex frumento potionem. *Celia* ergo *Hispanis*, quæ nunc vul-
gò *Cervisia* appellatur, humor, ut describit eam *Tacitus*, (de
Germanor. Moribus) ex hordeo, aut frumento, in quandam
similitudinem vini corruptus. Neq; aliter exponunt *Glossæ*
veteres *Latinae*, *Germanicae*: *Celia*, *Tranck von Korn /*
Bier &c. Talia, & plura alia *Boxbornius*; de quibus mox.
Nunc CELIAM, OELIAM & ZYTHUM apponemus;
& cum B. D. exponemus,

A 2

CAP. I.

CAP. I.
DE NOMINE AC ORIGINE.

§. I.

QUI domesticae quietis impatientes exterarum lustrarunt oras, regionesque viderunt, multos quidem hospites de facie noscunt; verum cum rogari eorum nomina reddere debeant, plerumque haesitant, ac memoria, extinctis imaginibus fallit. Quare ne id nobis etiam usu veniat, antequam aliquid ex antiquitate proferamus, nomina CELIAE, OELIAE & ZYTHI explicatione illustrare laborabimus. Illam originem debere verbo calefacere Orosius autumat, qui Lib. V. cap. VII. scribit: *Ultimò omnes duabus subito portis eruperunt, largà prius portione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum à calefaciendo Celiã vocant.* Exemplum ejus sequitur Isidorus & fundamentum in simplici facio & feci ponit. Lib. XX. Orig. Cap. III. Alii verò dictam eam judicant à Cerere; hoc est, à fruge. Unde Cerevisiae nomen impositum fuisse idem contendit. Ruellius contra & Hadr. Junius à Cereo colore nomen descendisse credunt. Abrahamus Vernerus Orat. de Cervis & Ceriam & Celiã per *μετα* *ζερε* literarum à Beria Germanorum derivat. Quarum derivationum suspicionibus & conjecturis confirmatarum tanta est diversitas, ut non possit esse major. Nos Possium dicendi maximum Magistrum & inter praecipua seculi ornamenta numerandum, ultrò sequimur, qui, reddità judicii sui ratione, priorum auctorum opiniones uno ictu perimit, & vocis originem à lingua Celtica reperit, videlicet à *Behren*: quod Germanis significat coquere, alere; quoniam robur vividum corporibus infundat, ac vim aemuletur alimoniae, R in L
muta-

mutatō, *Ceriam* dixerunt Latini *Celiam*. *Vossius* de vit. Serm. L. 1. c. 4 p. 20. C. verò literam adspirationis mobilitate praeditam gentium dialectus modò addit, modò abstrahit. Veteribus enim in more positum fuit, ut barbara nomina neq; in versibus resultantia, neque solutae orationi accommodata contraherent, extenderent, inflecterent, vel manè rejicerent. *Servius* itaque existimavit *Maronem* carmina de *Albanorum* Regum gestis inchoata, asperitate nominum deterritum, omisisse. *Sicarbam* autem appellasse *Sicbeum*, non secùs ac *Plinius Harpocras*, pro *Harpocrates* scripserit, Lib. X. Ep. IV. Id quod pluribus exemplis *Boxhornius* supra laudatus comprobat. Ita *Graecis*, inquit, *καρδία Romanis* Cor, Coelum, Cornu, Cannabis sunt; quae *Scytbis* & *Germanis* *Hardt* aut *Hordt*, *Hemel*, *Horn*, *Hanf* aut *Cannef* dicuntur.

§. II.

Quo duce freti OELIAM significare idem arbitramur. *Celtae* per OELE quemvis exprimunt humorem. *Graeci* autem vertunt *ἐλαιον*, *Romani* OLEUM, *Germani* OLIE, Cujus notionis oblivionem nondum induxit vetustas. Quippe *Angli* ALAM, *Angli Saxones* AELIAM, *Dani* & *Sveones* OELIAM vel OEL, *Scoti*q; voce parum mutatà *Helam*, seu *Hel*, deniq; *Cimbricae Chersonesi* & insularum conterminarum incolae OELAM, sive Oel adhuc potùs frumentaceos efferunt. Gens ea, quae *Illyricae* Provinciae pars habetur, & sumpto jam *Slavoniae* cognomine, *Hungaris*, quae Meridiem aspicias, finitima ac vicina est, *Bieram* vocat Ol, dato insigni documento; linguae se Germanicae admistione suam condidisse & exornasse. *Jo. Isaac. Pontanus Glossar. Prisco-Gall.* rem in attentissima cura positurus, ab OELA *Hispanorum* CELIAM nomen traxisse, & C expulso, rediisse OELIAM docet. *Hadr. Jun.* in *Hollandiae* descriptio-



ne potum ex hordeo confectum *Danorum* Insulae concilia-
se nomen tradit. At *Isaacius* Magistri persona sumpta, &
jure in librum ejus exerto, nobis fidem facit *Danis OE*, si-
gnificare Insulam; de qua tamen voce sequiora tradit in
Atlanticor. Tom. I. Celeberr. *Rudbeckius*.

§. III.

Zythum $\lambda\omicron\pi\omicron\ \tau\delta\ \sigma\iota\tau\omicron\varsigma$ originem duxisse in animum,
inducit equidem *Cluverius* L. I. c. XVII. *Germ. antiq. Matth.*
Martinius & *Abr. Vern.* $\sigma\iota\tau\omicron\varsigma$ de Cervis satis habent, si-
id à $\zeta\epsilon\omega$, ebullio derivetur; vel etiam à Germanico *sieden*/
quod est coquere. Evolve *Dn. Meibomii* Comment. de Ce-
revisiis c. IV. 18. verum cum *Aegyptus* humanitatem *Grae-*
ciae exiliis puniverit, hae opiniones ingenii auctorum ma-
gis quam fidei veritatiqve compositae videntur. Nec nos à
sententia deterret auctoritas *Theophrasti*, apud quem Lib.
VI. de causis plant. c. XV. $\zeta\upsilon\theta\omega$, $\zeta\upsilon\theta\omicron\upsilon$ & $\zeta\eta\theta\omega$ occurrunt.
 $\zeta\eta\theta\omega$ enim, ut *Scaliger* Graecarum Literarum scientiam excel-
lente medetur, haudquaquam vox verus, trita & usitata,
fuit. Ex. XCVII. de Subtil. *Daniel Heinsius* ergo emendato
scriptionis genere pro $\zeta\eta\theta\omega$ $\zeta\upsilon\theta\omicron\upsilon$ adjecit, & deinde in ver-
sione Latina vertit *Zutbum*, qui communi vocabulo *Zythus*
nominatur: nec concedimus *Jo. Bapt. Pio*, qui per errorem
lapsus τὸ *Zybi* apud *Columellam* in *githi* transmutat, aitq;
Gitbum Pelusiacum esse compositionem ex herba *Gith* ta-
ctam; quam *Plinius* Lib. XX. cap. XVII. à *Graecis* $\mu\epsilon\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\iota-$
 $\nu\omicron\nu$, aliàs $\mu\epsilon\lambda\acute{\alpha}\nu\sigma\epsilon\rho\mu\omicron\nu$ dicit appellari. Quod commentum
Haadr. Junio Animad. Lib. II. c. XII. ita displicuit, ut subla-
tis cachinnis coargueret auctorem. Deminutivum *Zythi*
sit $\zeta\upsilon\theta\omicron\upsilon$, quod $\pi\acute{\omicron}\sigma\iota\nu\ \alpha\lambda\phi\iota\tau\omicron\varsigma$ *Hesychius* nominat. Praeterea
etiam *Zythum* circumscribitur & variis adhuc definitur no-
tionibus. Modò enim *Gurmi*, juxta *Junium*, *Dioscoridis* ve-
rigis insistentem in glossis *Philoxeni*, modò *Curminis*, apud
Atbe.

Athenaeum Lib. IV. modò κβερνα] & apud *Ulpiarum* L. si
quis *D. de tritico* & *vino leg.* rursus *Curmi* vel juxta alios
Camii nomine venit; quae vox sicut non minus *Criticus*,
quàm *JCTOS* sollicitavit vehementer; ita Venerandus
Dominus *PRÆSES* Patronus summus, Præceptorque
aeternum Colendus eam accuratissimè in eleganti disputa-
de Latinitate vel præter meritum, vel meritò suspecta, &
Pand. Jur. eruta & recognita paucis abhinc annis explicavit
§. XIV. An verò id in simplicem & compositum, non se-
cùs ac *Pbucam Simeon Setbus* lib. de alim. fac. Veteres divi-
ferint, sententia *Palladae*, Graeco Epigrammate exornata,
non dum vincit:

Οὐκ ἀλόγως ἐν διζύφοις δύναιμι τινα θείαν,
εἶναι ἔφη. Χρὸς γὰρ διζύφον ἐν χερνίῳ
Ἡπιάλω καίμονι πᾶρταίω πειήψα,
καὶ γέγονεν τοχέως, οἷα κρότων, ὑγιῆς.

Non ratione caret, dizyphis ego quòd medicam vim

Dixi esse. Unde & heri dizipha in hepialo

Quartana dudum oppresso circum ipse ligavi,

Et subito sanus, ut Croto, convaleuit:

apprimè, si oculos mentemque in vocem πειήψα conver-
tamus, vid. *Meibom.* I. c. Cum *Syri, Bojemi, & Poloni Zy-*
thum non transferant & in lingvas ex gremio matris hau-
stas collocent, nos etiam illud *Bieram* appellamus, Roma-
norum forsitan exemplo inducti, qui crebris sermonibus
usurparunt: *Da bibere.* vid. *Ter. Act. III. Scen. II.* Sed de-
inde in bibere, ultimo E remoto, quidam Veterum nomen
Biber generis neutrius praeceperunt, & sequioris Latinita-
tis Scriptores in virili genere, & numero plurium dixerunt
biberes. *Ekkehardus* Junior Lib. de *Gaf. Mon. S. Galli* c. XI,
invitat tandem Abbas omnes pariter ad nonales fratrum
biberes; quamobrem literis contractis & in angustum ad-
ductis

ductis generale nomen *Bier* productum & vulgatum est, Quod etymon apud Vossium d. l. superius exit, aliis *Piri-*
am dici volentibus, ac si potus ex pyris confectus atque ex-
pressus fuerit, Conf. Hier. Lib. II. de Nat. Stirp. c. XVIII,
Mattb. Martinus Lexico Phil, *Bier* deducit à pyris; quasi
potus ex pyris haustus nostrum antiquitate superaret, *Bir-*
ram nominat *Scalig.* Ex. 87. de Subtil. *Brasium* Latino-barbaris
audit. Plura qui volet, consulat *Comment.* in C. C. Tac.
de *Germ.* p. 361. Dn. PRAESIDIS. *Christ. Beem.* in Orig.
Lat. ling. L. XX. c. II, *Alb. Cranzii*, *Vandaliae* lib. I. c. 4.
Greg. Holoandri ad L. si quis D. de trit. vin. & ol. *Jo. Placo-*
toni, lib. de nat. Cerv. Part. I. *Casp. Hofmanni* Instit. Med.
L. V. CXXVII. mentes atque sententiae cum *Isid.* supra cita-
ri voluntate suffragioque consentiunt. Alii putant dictam
fuisse *Ceribibiam*; quoniam fructus Cereris nobis in po-
tum cederent, vetusque vocum index declararet vim Ce-
reris aquae inesse ac E interjecto invaluisse *Cerevisiam*.
Abr. Vern. hic se credulum ostendit, aut nimis novitate
laetatur, qui *vina Arvisia* ap. Principem Poetarum & no-
yum nectar cum *Cerevisia* in nominis & rei societatem ve-
nire jubet, locus est Ecl. V.

*Et multo in primis hilarans convivium Baccho,
Ante forum, si frigus erit, si messis, in umbra
Vina novum fundam calathis Arvisia nectar:*

Verum cum vetustiores codices in varietate ac dissensione
sint constituti, ita, ut alibi *vina Arvisia*, alibi *Ariusia* & a-
libi *Aretusia* ac *Arvisia* legantur, saepius laudatus Dn.
Meibom. ex cussis probationibus, optimè litem ex *Strabone*
dirimit, causam hanc interserens: *Ardusum* esse locum
in insula *Cbio* asperum & annona sterilem, nisi quòd vi-
num praestantissimum alat, *Plutarcho* lib. *xar' Iun' eggv,*
Oivov ai' eg' mon dictum C. XII, 17. 18. Conf. *Jo. Ottonis Taboris*

Com-

Commentatio synoptica de Jure Cerevisiario. pag. 6. §. 3.
Alii à *cerebro* nomen Cerevisiae datum fuisse sibi persua-
dent, quasi *Cerebrum* appetat, obruat, perturbet. Huc per-
tinet *Jani Dusae* distichon:

*Quaeritur unde suum ducat Cerevisia nomen?
Quòd cerebrum visat crebra, Sabelle, tuum.*

Verùm omnes hos *Jo. Isaac. Pont.* prisco Gallico barb. vocis
libertate perstringit, qui ingeniis diffisi, adjumenta senten-
tiae in Latio, aut in Graecia quaerunt, & veritatem in pro-
fundo latentem falsitate magis deprimunt; quò minùs
in lucem evocetur. Et licet nos in *Sophoclis* versum in
Triptolemo deferamur;

Βρύτον δὲ τὸν χερσαῖον ἰδύειν.

Brytum terrestrem in alvum non demittere; aut *Aeschylus*
adeamus in *Lycurgo* prorsus obscurum;

*κακτῶν δ' ἐπινεσ βρύτον ἰχανίνων χερσῶν,
καὶ σεμνοκόπῃ τὰτ' ἐν ἀνδρείᾳ σέγῃ.*

Jam inde *brytum* bibebat, temporis spatio seipsum ex-
tenuans ac, sub viridi tecto, cum gravitate modestiaque
sele tundens.

Aut *Archilochum* ap. *Athenaeum* audiendi studio prose-
quamur canentem;

*Ὡσπερ αὐλῶ βρύτον ἢ θεαῖξ ἀνήρ,
ἢ φρυξ ἔβρυζε κύβδ' ἄν ἦν, πονδύμῃ.*

Ad tibiā brytum, ut Ibrax quispiam,

Sorbebat, aut Pbryx, prono bibens corpore;

nondum tamen scrupulus nobis, qui nos ob Cl. Viros à
βρύτω Cerevisiam compellantes sollicitat & pungit, evel-
litur. Quare si nostram afferamus & opinionem, omnes,
qui ad nominis originem penetrare cupiunt, contrarios
planè labores subire debere, nobis persuasissimum est.

B

Per.

Pertinet id ad *Goldasti, Cluverii & Meibomii* laudes, qui, omnibus nervis & artibus sapientiae intensis, *Bieram* ab *Hebraeorum* פֶּרִי, *Peri*, fructus deducunt. vid. *Comm. Meib.* c. XIV. 14. Haec de Nom. ac Orig.

C A P. II.

DE MATERIA, INVENTIONE,
ATQUE USU.

§. I.

Materiam parandae *Celiae* exponit *Florus* communi frumenti nomine usus: sic vocant, inquit, indigenam ex frumento potionem. *Plinius* autem nominatim tradit, quae genera frumentum complectatur, dum lib. XVIII. cap. VII. Haec, ait, vulgatissima sunt far, quod adonum dixerunt, siligo, triticum, hordeum. *Servius* dici putat frumenta, quaecunq; emittunt aristas. *Varro* I. de re rust. c. XLVIII. in segetibus autem frumentum, quod culmus extulit. *Plin.* L. XV. c. XIX. in sicis frumenta dicit grana. Cum enim multae gentes lacte antea, testibus *Herod.* Lib. III. *Ovid.* Lib. XIII. *Metam.* Fab. XIII. & *Euripide* *Elect.* sitim propulsarent; sed deinceps profusis aliorum epulis illectae gulae servire vellent, ac segnes colles cum sterilitatis malo conflictarentur, receperunt frumenta, potusque in vini similitudinem coxerunt. *Zythum* enim ex hordei triticique granis modò integris, modò in pistrino comminutis, apud *Flandros* autem ex avena confectum fuisse, testes habemus locupletissimos, *Reinesium* Polyhist. Celeber. & *Guil. Brittonem* L. II. Phil. Inde in *Juliani* Epigr. non Bromius impropterum, sed ab avena (Βρόμιον) Bromus Bacchus videtur consalutandus. Veteres itidem constituisse genera *Fucae*, focae seu *Zybi*, unumq; ex pane cocto, aliud ex massa azyma, aliud ex pane alhavari i. e. simila praeparasse tradit *Avic.* L. II. Can.

Can. tr. I. c. 279. quanquam summus *Cujacius* L. II. Obs. c. 30.
& L. XXIV. c. 39. eos, qui ex pane potionē instrui existimant,
in contrariam videtur partem trahere, aut cogere, non re-
fragante ipsomet *Reinesio*. Sed animum ad cavendum at-
tendamus, ne cum *Bellonio posca* atque *phuca* confundan-
tur. Posca enim ex aceto & aqua, variis modis inter se per-
mixtis constitit. Onomasticon vetus; *Posca*, ὀξύκρατον.
Unde & *Trallianus* lib. VII. cap. V. ait ad ea spectare, ὅσα δ'
ὀξύς ἐχθὴν σκλασίαν ἢ πῆσκα ἢ ὀξύγαλα; quae cum ace-
to parantur, & pulca & oxygala, Conf. *Meib. Comm.*
c. XIII. 13. *Hecateus* in *Periodo Europae* è milio *Tarta-*
rorum potum, it. è melle, lupulo, panico, oryza ac *Pae-*
onium περιβλήν ex milio fieri confirmat. Ex quo *Athenaeus*
p. 447. ed. *Commel*, eadem delumpfit, ac eodem loci βεύ-
των de radicibus quoq; parari legas ex opere *Hellanicis*, quod
κτίσεις inscripserat, vid. *Voss. c. l.* Ex milio & hordeo *Aethio-*
pes bibisse autor *Geoponicōn* Lib. VII. & *Strabo* Lib. XVII.
commemorant. In *Chataea*, juxta recentiores *Chataia* &
juxta *Sinenses* hodiè *Suthuen*, debellata ab *Alexandro* Pro-
vincia, nec non in terra *Quinsai*, *Aden* & *Cangigu* oryzae
potus vini saporem, qui ex dulcedine percipitur, exsuperat
& mox sensus confundit. vid. *M. Paulus Venetus* & *Hornius*
in *Arca Noae* p. 257. & 258. in *Turgovia Helvetiorum*, è pyris,
quae montana & fontana vocant, musta optima nec
facilè peritura aut coacescentia conficiuntur, quae conco-
cta vinum nobilissimum mentiuntur. *Gold. t. i. rerum A-*
lam. fol. 202. Conf. *D. Jo. Jac. Wagner* in *Helvet. curios.*
Sect. V. art. & de pomario vino *Andr. Turnebus* uno ore &
uno animo, qui ex indicis oris, ubi ceris & stylo incu-
buerunt, redeunt, validissimè testantur palmas inservire
potui parando. *Hippocrates* ex palmulis & dactylis atque
myrti baccis potum instruxisse fertur. Οἶνον Φοινικῆιον *Hero-*
dotus appellat Musa 3. B 2 §. II.

Inventi potus *Zythi* gloriam vindicamus *Aegypto*, gravissimis suffulti testimoniis, *Herodoti*, *Diod. Siculi*, *Jamblichi*, *Ciceronis*, *Philonis*, *Strabonis* *Tatianique*. Haec enim regio illos aluit Viros semper, qui ex aere modò fuso & rosto, modò exenterato & soluto aeternas laudes collegerunt, atque ipsemet *Moses* eorum doctrinis instructus ad summum sapientiae fastigium ascendit. Huc pertinet illud *Theophrasti* Lib. VI. de causis plant. c. XV. *ὡς οἱ Ἰβὲ δίνες, ποιῶντες ἐκ ἰῶν, κριθῶν, καὶ ἰῶν πυρῶν, καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον ζύθον,* & versus *Colum.*

ut pelusiaci proritet pocula Zythi.

conf. *Plin.* L. XXII. c. ult. Anceps enim & lubricus est locus *Dioscoridis* Lib. V. c. XXVI. *διόπερ ἰῶν Γαλατῶν οἱ ἰβῶν καρπῶν (ἕινυ καὶ ἐλαίῃ) περισκόμοι, πόμα κατασκευά ζυσιν ἐκ ἰῆς κριθῆς τὸ προσαγορευόμενον ζύθον.* *Galli horum fructuum (vini & olei) expertes ex hordeo sibi potum conficiunt, qui Zythus appellatur;* atque haudquaquam lenocinatur *Isaacio*, ut nostram sententiam carpat & labefactet, nimio Gentis suae amore maculatus; quem tamen idem *Dioscorides* cap. antecedente persequitur, *Rheno Danubioque Fluminibus Galliam ambientibus & Germanos ita completentibus;* & nos instamus ipsi, urgemus & poscimus, annon etiam *Strabo* *Insitantis* *Zythi* potum & usum tribuat? Lib. III. *κριθῶνται δὲ καὶ ζύθει, οἶνω δὲ σπανίζονται.* *Zycho* etiam utuntur, vini verò parùm habent? Licet enim *Nilus Aegypti* largissimus fluxerit & victorem populum paverit; at tamen colles non patiebantur vites. De *Aegyptijs* *Herodotus* ait Lib. II. *ὅτι οὐκ ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ ἀμπελοί,* quod vites in ea regione non essent. Nec eorum fontes perennibus rivis fuerunt nutriti; ac de vix terra saepius acceptum liquorem absorbit, enatis pessimorum morborum seminibus.

nibus. Quare *Osiridem* & *Bacchum* malis his commotos ex hordeo potum efficiendum docuisse Aegyptios credit *Diod. Sic.* Lib. I. c. XX. Lib. III. c. LXXIII. Modum autem apud laudatum *Reinesium* scriptor. anon. in volum. Chem. Graec. *ἡ ζύζων ποιήσεως* ita exhibet: pistos fermentoque evolutos, sed non ebullientes panes ἐν κλεβῶ parum coqui, affusâ aquâ, liquorem stillantem pauxillatim emitti, separatisque fecibus evadere potulentum.

§. III.

Id quod si diligentius repetamus, & recogitemus, tam Veteribus quam Recentioribus, dictorum potuum contemptoribus respondere possumus. Extat in eos epigramma.

Jub. Imp. τὸ ἑργάτης, Anthol. Graec. lib. I. tit. εἰς οἶνον.

Τίς; πόθεν εἶ, Διόνυσσ; μα γὰρ πὶν ἀλαθῆα Βάκχον,
ἢ σ' Ἰπηνώσκω. Τὸν Διὸς οἶδα μόνον.

Κεῖν ὁ νέκταρ ὄρωδε σὺ ἢ τρέγυς ἢ ρά σε Κελτοὶ

τῆ πενία βοτῶων τεύξον ἀπ' ἀσυχέων;

Τῶ σε χρεὶ καλέειν Δημήτριον, ἢ Διόνυσσον,

Πυροφρῆ μᾶλλον, ἢ Βεβρόν ἢ Βεβρόμιον.

Quod ita Latine vertit *Erasmus*:

Bacche quis? unde venis? verum tibi deiero Bacchum,

Te haud novi, tantum est cognitus ille Jovis.

Is nectar redolet, hircum tu, dic, age, nam te

Es picis finxit Gallia vitis inops.

Non igitur Bacchum te dixero, sed Cerealem,

Et frumentigenam, nec Bromium, immò Bromum.

Sed familiariter Poeta cavillatur, aut dubiae est sanitatis.

Quare aures nostrae *Dioscoridem* sequantur artis salutaris

instauratorem eximium ita opinantem Lib. I. c. LXXX. *Zy-*

thos ex hordeo paratur, movet urinam, renes & nervos laedit

& praecipue cerebri membranis noxius: gignit flatus; mali

succi est & elephantiasin facit atq; ebar Zytho madens in

omne opus tractabile redditur. Ejus auctoritate trahuntur

Galenus lib. VI. de simpl. medic. facult. *Aëtius* Tetra. I. Serm. I. *Oribasius* collect. Lib. XV. *Paulus Aegineta* Lib. VII. *Simeon Setbus* lib. de cib. fac. *Avicenna* lib. de remov. nocum. in regim. Sanit. tract. V, c. XIIIX. & lib. II. tract. II, cap. CCLXXIX, Verùm eos præstantissimi recentiores Medici accuratis argumentis, quasi nimis fortiter incauteque progressos spernunt, veterum magna corpora, ad impetus bellorum valida, annisque gravia corripunt, & usus quotidianus afficit pudore.

§. IV,

Crediderim ego, utilitate, quaestu, & lucro ductos *Nobiles* quosdam, lite *Civitatibus Misensibus & Thuringicis* motâ, speciosas causas invenisse & Jure Gentium commercium libertatem cunctis liberaliter indulgente defendisse, quibus *Cerevisiae* coquendae & divendendae facultatem sibi assererent. Verùm cum haec res ad forum Ictorum pertineat, & *Dn. Tab.* in cit. *Comm. Syn. de J. Cerevis.* responsa *Tubingensium* suppeditet; hanc ex *Zonara* mutamur historiam; allato nuncio *Theodora*e navem mercibus instructam & onustam appulisse, *Theophilus* Imperator, eâ accensa, uxorem vehementer increpuit hunc in modum: se coelitus *Caesarem* creatum fuisse & ad maximam ejus injuriam ac contemptum spectare, si mulier eum *Naucleum* vellet haberi, vulgò ex commerciis quaestum capiente ac necessitates vitae humanae tolerante. Nolumus plura ex antiquitatis fontibus haurire, factoque scribendi sine & mentibus ad coelum conversis, illud canimus:

S. D. G.

Birra,



Birra, Zythus, seu tosta Ceres, Cerevisia, Breuhan,
Oelia apud Priscos Celia dicta fuit,
Simplicitas antiqua placet Svecisque Britannis ;
Aelia adhuc illis dicitur iste liquor.
Mumma Brunsvigae coquitur, vicinia Duckstein,
Lipsia dat Rastrum, Leucoris at Cuculum,
Buff habet Halla suum, sed tellus VVestphala Keythum,
Mord-totdschlag (fugite hinc!) concoquit Islebia,
Glatich tibi Jena dabit, Knesnack Güstrovia forte,
Misna suum Quirlquitsch, Delitiumq; Kuhschvanz.
Mons, Eckarde, tuus, sic potus dicitur? O VAE!
Numburgum novit Dorff-quoq;-deufelius,
Proderit antiqui vetus haec doctrina Magistro
MIZLERO potus! profit honor! voveo.

Ludibundâ venâ

PRAESES.



